De Jubae regis Mauritaniae fragmentis pars altera.

Proœmium.

Quum ante hos quattuordecim annos dissertationem de Jubae II. regis Mauritaniae vita et fragmentis scripsissem, partem tantum publici iuris feci, qua vitam eius perlustrans puerum anno urbis conditae septingentesimo octavo post pugnam ad Thapsum commissam a Caesare Romam ductum captivitatem nactum esse felicissimam demonstravi, quippe qui Caesaris et Augusti gratia et favore munitus viginti fere annos ibi moratus ita litteris studuisset tantamque doctrinam et eruditionem assecutus esset, ut Plutarchus *ἱστορικώτατον* vel *συγγραφέα πολυμαθέστατον* eum posset celebrare; librorum autem, quos partim iam Romae partim Caesareae in urbe regia et sede litterarum ab ipso condita composuisse constat, tres tantum, qui descriptionem Africae et Arabiae continent, *Λιβυκά*, *de herba Euphorbia*, *de expeditione Arabica*, in disputationem vocavi et, quae hic illic dispersa ex iis restant, edidi fragmenta, reliqua, quae haberem, alio tempore occasione oblata sperans tractaturum me esse. Quocirca munus commentationis more consueto annalibus huius litterarum ludi anteponendae libenter suscepi. Neque enim verendum est, ne sero rem olim inceptam denuo aggressurus acta agere videar; nam quae sors antea regis fuit studiorum claritate memorabilioris quam regno, tam longo temporis spatio interiecto accidit, ut multos etiam nunc lateat, quantopere de litteris meruerit, et quamquam nonnulli ut Wenceslaus Plagge *de Juba II. rege Mauretaniae Monasterii a. 1849.* et ten Brink *Jubae Maurusii de re metrica scriptoris Latini reliquiae Ultraiecti ad Rhenum a. 1854.* fragmenta collegerunt, certo ordine disposuerunt, de operibus, quae Jubae nomen ferunt, disseruerunt, ne ab his quidem eius laus ita stabilita est, ut nihil addi vel aliter statui posset, imo partem fragmentorum alii ab eo abiudicaverunt. Quae ut defenderemus ab hominum silentio et, si fieri posset, quae Jubae regi invidentur, rursus ei vindicaremus, fragmenta collecta e scrinio promere et disquisitione iterum repetita novaque adaucta materie in lucem proferre constitui; quibus Jubam non minore mehercle studio et successu, quam quo terrarum situm et naturam descripsit geographus, scriptoris rerum et bonarum artium, grammatici, metrici partes egisse apparebit, ut ambigi liceat, quo in genere maxime excelluerit.